



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

1 An accidentia sint sine subiecto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

probabilis est; & ideo dixi, regulariter, seu frequenter: quia non repugnat aliquando aliter accidere, vt in eo casu: quia videtur nimia rarefactio in speciebus fieri: quamuis (vt supra dicebam) etiam possit dici, in eo casu non rarefieri species, quæ, si tangantur, videtur sentiri æquè dense; sed ex corpore circumstante adiungi partem aliquam eisdem coloribus affectam, vt illa magnitudo appareat: & consequenter manere CHRISTVM sub speciebus, non vero in reliqua parte corporis circumstantis. Præterea hoc modo sunt hæ apparitiones proportionatæ fini earum: nam, vel sunt ad confirmandam fidem præsentis corporis CHRISTI, & ita conueniens est, vt illa duret; vel ad solatium alicuius iusti, quod non esset solidum, si Christus discederet, quoad veram præsentiam sacramentalem: solumque appareret secundum sensibilem repræsentationem. Tandem huic sententiæ sic positæ videtur consentanea Ecclesiæ consuetudo, quæ hostias consecratas immutatas in colore carneo, aut sanguineo diu conseruat, & veneratur, vt verum Eucharistiæ Sacramentum.

Dices, hoc nimium probare: quia interdum tam diuturno tempore conseruatur, vt in eis non possit substantia panis conseruari sine corruptione. Respondetur, fortasse interdum diuinitus conseruantur, sicut alia Sanctorum reliquia, maxime quando eodem modo, & eiusdem omnino coloris semper apparent: fortasse etiam substantia panis, si ab extrinsecis corruptentibus multum actius reseruetur, longo tempore durare potest: non est deniq; negandum, aliquando posse diuturnitate temporis apparere sufficientia signa corruptionis: quod obseruandum est, vt iam tunc non adhibeatur veneratio, quæ corpori Christi ibi existenti dari solebat, sed quæ dari potest signo, seu vestigio corporis Christi, quod ibi fuit.

SECTIO IV.

Quid agendum sit, quando apparent huiusmodi mutationes in Eucharistia.

Primo inquiri potest, quid sit agendum, quoad adorationem talium specierum, & hoc iam est sufficienter explicatum, & fere eandem doctrinam habet Caietanus hic.

Secundo inquiri potest, quid sit agendum, quoad vsum: & dicendum est, non esse consumendas, sed conseruandas in loco decente & sacro, quam diu sunt sub tali forma. Ita D. Thom. hic, & in 4. dist. 10. questione 1. artic. 4. quæstioncula 3; & ceteri Theologi. Et vñs Ecclesiæ id confirmat, & ratio, quia sub illa forma non possunt sine horrore sumi; & quia tunc non proponuntur sub specie cibi humani; nempe sub specie panis & vini, sub quibus tantum Christus sumi voluit, vt argumentatur Diuus Thomas ex cap. De hac, de consecratione, distinctione secunda. Fateor tamen, rationes has non concludere, hoc esse proprie & rigorose præceptum, seu prohibitum, quia posset esse minister, qui nullum haberet horrorem, nec desunt ibi omnino species panis & vini, vt probatum est, sub quibus Christus sumatur: Christus autem nunquã prohibuit sumere corpus suum propter solam huiusmodi mutationem, neq; etiam est vñs expressum Ecclesiasticum præceptum, nihilominus tamen seruanda est Ecclesiæ consuetudo, à quo non licet facile discedere, præsertim quia hoc conferre potest ad maiorem Sacramenti reuerentiam, & ad vitandum omne periculum horroris & vomitus, &c. Dixi autem, quam diu sunt sub tali forma, quia si ad priorem redeant, tunc consumi possunt, quia cessant rationes factæ, & est probabile, non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis, qua ratione colligit D. Thom. si immutatio appareat vni, & non alteri, posse species consumi, quia

Franc. Suarez Tom. 3.

non est facta in illis, idem autem est, etiam si fit facta, & postea cesset, & nudæ species panis ac vini appareant, sicut refert Paschasius supra accidisse cuidam viro sancto, qui, cum similem visionem vidisset, rogauit Deum, vt ad formam sacramenti rediret, quod posset consumere, atque ita factum est, & similia legi possunt apud Guirmundum & Garecium supra, & Petrum Diaconum in vita Gregorij.

Guirmun.  
Garecius.  
Pet. Diac.

Vltimo queri potest, quid aget sacerdos, si post perfectam consecrationem vtriusq; speciei, talis accedat immutatio? Respondetur, si in aliqua parte nihil est immutatum, illud consumi potest, & satis erit ad perfectionem illius sacrificij: si autem nihil consumi potest corporis & sanguinis, dicunt quidam esse necessarium ex præcepto consecrare iterum & consumere alias species. Ita Antoninus ex Alberto 3. par. tit. 16. c. 6. §. 14. quia est præceptum diuinum, vt sacerdos consumat sacrificium, & videtur fauere D. Thom. supra. Nihilominus verius est, hoc non esse præceptum, sed consilium, & ita esse exponendum D. Thomam censent Paludan. & Caietan. Soto dist. 13. q. 1. art. 4. Syluester, verbo Eucharistia 3. in fine. Victoria in Summa, num. 70. & ratio est, quia in eo casu non potest impleri illud præceptum in choato sacrificio, seu in speciebus consecratis: denuo vero consecrare alias, non esset prius sacrificium consummare, sed aliud inchoare, quod ex vi prioris consecrationis præceptum non est, prout nunc loquimur: nam aliunde, & per accidens posset tunc occurrere aliud præceptum, vt, verbi gratia, audiendi Missam, vel quid simile: de quo hic non agimus, & fortasse probabilis est, etiam ex illis præceptis non oriri talem obligationem, maxime si verum est, consumptionem specierum non esse de substantia sacrificij, vt infra dicemus.

Antonin.  
Alberius.

Soto.  
Syluest.  
Victoria.

QVÆSTIO LXXVII.

De remanentibus in Sacramento accidentibus, in octo articulos diuisa.



Emde considerandum est de accidentibus in hoc Sacramento.

Et circa hoc queruntur octo.

Primo, vtum accidentia, que remanent, sint sine subiecto.

Secundo, vtum quantitas dimensiu sit subiectum aliorum accidentium.

Tertio, vtum huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus intrinsecum.

Quarto, vtum possint corrumpi.

Quinto, vtum ex eis possit aliquid generari.

Sexto, vtum possint nutrire.

Septimo, de fractione panis consecrati.

Octauo, vtum vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICVLVS I.

Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod accidentia non remaneant in hoc Sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum, aut fallax debet esse in hoc Sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto, est contra rerum ordinem, quem Deus natura indidit: videtur etiam ad quantam fallaciam pertinere, cum accidentia naturaliter sint signa nature subiecti. Ergo in hoc Sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

Supra q. 75.  
Art. 5. §. 1.  
d. 47. art. 4.  
cor. Et 4. d.  
12. q. 1. ar. 1.  
§. 4. contr.  
c. 63. §. 66.  
§. quod 3.  
artic. 1. Et  
quod 4. ar. 5.  
Et opusc. 2. c.  
8. §. 1. Cor. 2.  
mal. irrationalis. col. 5.

2. Præterea, fieri non potest etiam miraculose, quod desinitio rei ab ea separetur, vel quod vni rei conueniat desinitio alterius rei (puta, quod homo manens homo, sit animal irrationalis) ad hoc enim sequeretur, contradictoria esse

Lib. 4. Me-  
taph. text.  
28. tit. 3.

simul vera: hoc enim, quod significat nomen rei, est definitio, ut dicitur in 4. Metaph. \* Sed ad definitionem accidentis pertinet, quod sit in subiecto: ad definitionem vero substantiae, quod per se subsistat, non in subiecto. Non ergo potest miraculo esse fieri, quod in hoc Sacramento sint accidentia sine subiecto.

3. Præterea, Accidentis individuatur ex subiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc Sacramento sine subiecto, non erunt individua, sed ymuerſalia: quod patet esse falsum, quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantum.

4. Præterea, Accidentia per consecrationem huius Sacramenti, non adipsentur aliquam compositionem. Sed ante consecrationem non erant composita, neq. ex materia & forma; neq. ex quo est, & quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita. Altero horum modorum quod est inconueniens: quia sic essent simpliciora, quam angeli: cum tamen hæc accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc Sacramento sine subiecto.

Refertur de  
son. ec. 2.  
c. Species.

Sed contra est, quod Gregor. \* dicit in homilia Paschali, quod species sacramentales sunt illarum rerum uocabula, quæ ante fuerunt, scil. panis & uini. Et ita, cum non remaneant substantia panis & uini, uidetur, quod huiusmodi species remaneant sine subiecto.

Quaest. 75.  
art. 3. & 6

In libro de  
Trinitate ante  
med.

RESPONDEO dicendum, quod accidentia panis & uini (quæ sensu deprehenduntur in hoc Sacramento remanere post consecrationem) non sunt sicut in subiecto, in substantia panis & uini, quæ non manet (ut supra \* habitum est) neque etiam in forma substantiali, quæ non manet, & si remaneret, subiectum esse non posset, ut patet per Boetium in lib. de Trinitate. Manifestum est etiam, quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis & sanguinis CHRISTI, sicut in subiecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile, quod corpus CHRISTI gloriosum, & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates.

Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subiecto, in ære circumstante. Sed ne hoc esse potest. Primo quidem, quia aer non est huiusmodi accidentium susceptiuus. Secundo, quia huiusmodi accidentia non sunt, ubi est aer, quoniam ad motum harum specierum aer depellitur. Tertio, quia accidentia non transeunt de subiecto in subiectum, ut, scil. idem accidens numero, quod primo fuit in uno subiecto, postmodum fiat in alio accidens enim numerum accipit à subiecto, ynde non potest esse, quod idem numero manens, sit quandoq. in hoc, quod doque in illo subiecto. Quarto, quia cum aer non soluetur accidentibus proprijs, simul haberet accidentia propria, & aliena. Nec potest dici, quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis, quia uerba consecrationis hoc non significant, quæ tamen non efficiunt, nisi suum significatum. Et ideo relinquatur, quod accidentia in hoc Sacramento manent sine subiecto. Quod quidem virtute diuina fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat à causa prima, quam à causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens, subtrahæ substantia, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formauit in utero uirginis, sine uirili semine.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem nature, cuius tamen contrarium est ordinatum secundum speciale priuilegium gratiæ, ut patet in resuscitatione mortuorum, & in illuminatione cæcorum, prout etiam in rebus humanis quedam aliquibus conceduntur ex speciali priuilegio, præter legem communem. Et ita etiam, licet sit secundum communem nature ordinem, quod accidens sit in subiecto, ex speciali tamen ratione, secundum ordinem gratiæ accidentia sunt in hoc Sacramento sine subiecto propter rationes supra inductas. \*

Ad secundum dicendum, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum, quod est esse, non potest esse essentia substantiæ, vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ ens per se sine subiecto: nec definitio accidentis, ens in subiecto: sed quidditati seu essentia substantiæ competit habere esse, non in subiecto, quidditati autem, siue essentia accidentis competit habere esse in subiecto. In hoc autem Sacramento non datur accidentibus, quod ex vi sua essentia non sint in subiecto, sed ex diuina virtute sustentantur. Et ideo non desunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subiectum, quæ semper manet in ipsis, non actualis inherentiæ: nec competit eis definitio substantiæ.

Ad tertium dicendum, quod huiusmodi accidentia acquisierunt esse individuum in substantia panis & uini, quæ conuersa in corpus & sanguinem Christi, remanent virtute diuina accidentia illo esse indiuiduato, quod prius habebant. Vnde sunt singularia & sensibilia.

Ad quartum dicendum, quod accidentia huiusmodi manente substantia panis & uini, non habent aut ipsa esse, nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse; unde sunt composita ex esse, & quod est (sicut in prima parte de angelis dictum est) & cum hoc habent compositionem partium quantitatarum.

#### COMMENTARIUS.

Circa titulum articuli aduertendum est, non esse sermonem de singulis accidentibus, sed de tota collectione, seu aggregato, aut composito accidentium panis, & uini, quæ post consecrationem manent: atq. hoc sensu facilis est respositio articuli, manere, scilicet, hæc accidentia sine subiecto: quia manent sine propria substantia, quamuis non singula eorum careant proprio inherentiis modo, ut in sequente articulo D. Thom. docet. Nisi quis velit potius de subiecto distinguere: aliud est enim subiectum proximum, cui accidens immediate inhaeret, de quo procedunt, quæ diximus: aliud uero est subiectum remotum, id est, suppositum, quod ex natura rei omnia accidentia sustentat, siue illi immediate inhaereant, siue quædam medijs alijs, & hoc modo omnia, & singula accidentia carent huiusmodi subiecto. Vtrumque autem horum sufficienter ostensum est ex illo principio fidei: substantiam, scilicet, panis & uini sub eis non manere: D. Thom. autem ad magis confirmandum ueritatem, discurrit per alia subiecta, quæ fingi possent, & singula excludit. Vnum est, forma substantialis panis, de qua eadem est ratio, quæ de tota substantia: quia similiter non manet, & quoad hoc idem est de materia panis. Adit uero Diuus Thomas, quod licet forma maneret, non posset esse subiectum accidentium, quod satis est; si ex natura rei intelligatur, & sine nouo miraculo, quod fingere non est necesse, quamquam etiam de potentia absoluta facile posset defendi, hoc non esse possibile: quia, & forma materiali deest intrinseca capacitas passiva, & receptiua accidentium, & in ipsis accidentibus deest intrinseca habitudo ad tale subiectum, & formalis aptitudo ad illud informandum: sed non libet in hac disputatione, quæ præsertim mysterio nihil deseruit, amplius immorari. Aliud subiectum, quod fingi posset, est corpus ipsum Christi, quod etiam Diuus Thomas excludit; tum ex generali ratione humani corporis, quod huiusmodi accidentibus affici non potest: tum ex speciali ratione corporis gloriosi, quod impassibile est, & alterari non potest: vtrumque autem horum intelligendum est iuxta conuentionalem conditionem, seu statum talis corporis: quia reuera, illud non implicat contradictionem: esset tamen valde præternaturale, &

indecens, ac monstruosum corpori humano, præferim glorioso; & ideo nullo modo est tribuendum corpori Christi. Addo tamen, specialem repugnantiam inuolueri, vt Christi corpus hic existat modo indiuisibili, & inuisibili, & tamen, quod illi inherereat quantitas panis, occupans locum modo extenso & diuisibili. Tertium subiectum excogitari posset, corpus, quod species sacramentales circumstant (de aliis enim, quæ remotius distant, non potest hoc fingi, vel à fortiori illa excluduntur, illo excluso) hoc ergo excludit Diuus Thomas quatuor facillimis rationibus, quæ in eo legi possunt: nam ipsemet explicat, eis non probari, hoc est simpliciter impossibile in ordine ad diuinam potentiam: sed fieri non posse sine alio extraordinario miraculo; quod neque ex forma talis sacramenti colligi potest, nec gratis hngedum est: cum sacramenti forma solum efficiat, quod significat, quod est valde notandum ad explicandas similes rationes D. Thomæ in tota hac materia. Obseruandum vero existimo circa secundam ex his rationibus; omnino repugnare, etiam de potentia absoluta, quantitatem panis inherere aëri circumstanti, suppositis his, quæ credimus, & visu experimur de his accidentibus: credimus enim, neque substantiam aeris, neque vllam aliam, præter corpus CHRISTI esse intime intra quantitatem panis penetratiue, seu realiter ibi præfens secundum totam profunditatem suam: nam, sicut ex veritate formæ sacramenti huius excluditur substantia panis, aut vini, ita & qualibet alia peregrina substantia, præter corpus Christi, quantitas autem inherere nulli potest substantiæ, nisi intime illi sit præfens, sicut nec forma materiam, quia hoc intrinsece includitur in huiusmodi compositione. Rursus experimur, quantitatem hostiæ consecrate solum esse contiguam aëri circumstanti illam, & ideo facile experimur moueri, eumque diuidere, & à suo loco pellere, quod facere non potest forma in subiecto, in quo inheret; relinquatur ergo, nullum esse subiectum, in quo talia accidentia possint subiectari.

Vltimo vero probat D. Thom. diuina virtute posse ita conseruari, quia potest Deus causalitatem subiecti supplere. Sed obici potest, quia quantitas maxime pendet à subiecto, vt à causâ materiali, quicquid fit de dependentia in genere causæ efficientis: Deus aut, licet supplere possit efficientiam causarum secundarum, non tamen causalitatem materialem, sicut nec formalem, quæ intrinseca sunt. Respondetur, Deum non posse supplere causalitatem materialem, vel formalem, quæ consistit in intrinseca compositione ex subiecto & forma, quia hoc, & imperfectionem includit, & repugnantiam inuoluit, potest autem Deus supplere causalitatem quandam, quæ consistit in extrinseco influxu, seu adhesionem vnius ad aliud: prioris generis est causalitas materiæ & formæ, respectu compositi, quod sine illis neque intelligi potest, quia alias esset compositum, quia supponitur esse, & non esse, quia deessent componentia, posterioris autem generis est mutua causalitas, quam ad inuicem habent inter se materia & forma, nam neutri alteram componit, & vtræque aliquo modo pendet ex consortio alteri, quod Deus supplere potest per vim actiuam, & creatiuam, quia neque in Deo hoc ponit imperfectionem, sed supponit potius perfectionem, neque in rebus ipsis est repugnantia, quod de accidentibus respectu subiecti, de quibus nunc est sermo, probat D. Thom. soluendo argumenta, quibus apprensus repugnantia ostendi posset.

Solutio ad primum est facilis, indicatur vero in ea esse contra naturam accidentis, quod sit sine subiecto, intelligendum est autem esse supra naturam, aut præter ordinariam legem naturæ, aut esse quandam modum existendi, contrarium illi, quem natura sua postulat; aut denique esse contra naturam, quod talis modus sit ei connaturalis, nisi naturale Franc. Suarez. Tom. 3.

vocetur creaturæ, quidquid Deus circa illam operatur, vt Augustinus loquitur, 26. contra Faustum, capit. 3. vbi etiam addit, posse Deum dici agere contra naturam, quando agit contra vilitatum cursum naturæ; proprie vero dicitur agere præter, vel supra naturam.

Secundum argumentum Diui Thomæ est proprium & vulgare in hac materia: quia est contra essentiam accidentis esse sine subiecto: quia eius esse est inesse, propter quod dixit Aristoteles 1. Physicorum, text. 30. Affectus esse inseparabiles. Physicorum, text. 30. Affectus esse inseparabiles, & absurdum esse mentem, quæ ea quærit, quæ fieri nequeunt: scilicet, accidentium separationem. At communis facilis responsio est, aptitudine inesse, pertinere ad essentiam accidentis, non tamen actu inesse, sed hunc esse modum comitantem talem essentiam: sicut in substantia non est de essentia eius substantia, sed modus substantiæ: de qua solutione videri potest Scotus in 4. d. 12. vbi late conatur ostendere, non esse de essentia accidentis actu inherere, cum habeat entitatem absolutam, distinctam ab entitate substantiæ, quarum vna non est de essentia alterius, saltem intrinsece: sed ad summum, vt terminus alicuius transcendentalis habitudinis: est ergo hoc satis probabile, etiam in ratione naturali, præter fidei certitudinem, & quamuis non sit omnino euident, tamen manifestissimum est, nos posse contrarium demonstrari. Aristot. vero locutus est ex natura rei: sic enim accidentia sunt inseparabilia: indigent enim naturaliter concursu subiecti, vt conseruentur: & in idem recidit, quod D. Thom. in solutione dicit, scilicet, esse in subiecto, non esse de essentia accidentis, sed esse talem naturam, cui competat esse in subiecto, quatum ex se, seu, quod ex vi sua non possit sine subiecto conseruari.

In solutione ad tertiam explicat Diuus Thomas quomodo possint accidentia indiuiduata conseruari sine subiecto, cum ab illo indiuidentur, & dicit, rationem esse, quia iam acquirerunt indiuiduationem in tali subiecto: in qua postea conseruantur: non est autem dubium, quin à principio potuerint creati eadem indiuidua accidentia, sine tali subiecto: dicuntur autem habere tunc aptitudinalem habitudinem ad tale subiectum, & inde indiuiduari. Veritas autem est, intrinsece vnumquodque accidens esse tale indiuiduum ex vi suæ entitatis, & per illam distingui ab alio simili in specie, etiam si contingat habere habitudinem ad idem numero subiectum, eiq; inherere, saltem successiue: respectu vero naturalium agentium dicitur accidens indiuiduari à subiecto, non solo, sed talibus circumstantiis applicato, neque intrinsece, & in facto esse, sed extrinsece, & in fieri; quia, scilicet, à tali subiecto, & circumstantiis determinatur hoc agens naturale, ad efficiendum hoc: Deus vero non indiget extrinseco determinante; & ideo potest, quando, & quomodo voluerit, quodlibet indiuiduum producere; & ita potest creare indiuidua accidentia extra subiectum, & similiter conseruare: non nego tamen, esse probabile hoc accidens numero tantum dicere habitudinem ad hoc numero subiectum, quamuis è contrario non omne accidens, quod dicitur habitudinem ad idem subiectum, sit idem numero; nec dubitari posse videri, quin possit Deus simul & eodem loco creare duo accidentia numero distincta, habentia ordinem ad idem numero subiectum; sed de hoc alias.

Solutio ad quartum caute legenda est, & intelligenda; cum enim ait D. Thom. accidentia in subiecto non habere esse, non intendit negare propriam & accidentalem existentiam accidentium: id enim esset improbabile, sed solum docet, huiusmodi existentiam non conuenire accidenti, vt ei, quod habet esse, sed esse talem, quæ indiget sustentante, quod proprie dicitur (ait Diuus Thom.) habere tale esse

Per talem formam, ubi clare concedit, formam accidentalem afferre esse secum, & conferre illud tali subiecto. Vnde, cum subdit, accidentia post consecrationem habere esse, non intelligit acquirere nouam existentiam, vt aperte constat ex eodem ar. insequente, sed solum bonum modum habendi illam, ratione cuius dicuntur aliquid subistere & esse composita ex esse, & quod est: quod magis in disputatione explicabimus.

ARTICVLVS II.

Vtrum in hoc sacramento quantitas dimensiuua panis, vel vini, sit aliorum accidentium subiectum.

4. d. 12. q. 1. a. 1. q. 3. & 4. co. ca. 62. col. 2. & 6. q. 4. & 1. Cor. 1. 16. 4. co. 5. in fin.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramento quantitas dimensiuua panis vel vini non sit aliorum accidentium subiectum. Subiectum enim accidentis non est accidens: nulla enim forma potest esse subiectum, cum subijci pertineat ad proprietatem materiae. Sed quantitas dimensiuua non potest esse subiectum aliorum accidentium.

2. Præterea. Sicut quantitas indiuiduatur ex substantia, ita etiam & alia accidentia. Si ergo quantitas dimensiuua panis aut vini remanet indiuiduata secundum esse prius habitum, in quo conseruatur paritate & alia accidentia remanent indiuiduata secundum esse, quod prius habebant in substantia. Non ergo sunt in quantitate dimensiuua, sicut in subiecto, cum omne accidens indiuiduetur per suum subiectum.

3. Præterea. Inter alia accidentia panis & vini, quae remanent: deprehenduntur etiam sensu rarum & densum, quae non possunt esse in quantitate dimensiuua propter materiam existentem, quia rarum est, quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus, densum autem, quod habet multum de materia sub paruis dimensionibus, vt dicitur 4.

Libr. 4. text. 34. 10. 2.

Physicorum. † Non ergo videtur, quod quantitas dimensiuua possit esse subiectum accidentium, quae remanent in hoc sacramento.

4. Præterea, Quantitas à subiecto separata, videtur esse quantitas mathematica, quae non est subiectum qualitatibus sensibilibus. Cum ergo accidentia, quae remanent in hoc sacramento, sicut in subiecto, in quantitate dimensiuua panis & vini remanent post consecrationem.

Sed contra est, quod qualitates non sunt diuisibiles, nisi per accidens, scilicet, ratione subiecti. Diuiduntur autem qualitates, remanentes in hoc sacramento, per diuisionem quantitatis dimensiuuae sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiuua est subiectum accidentium, quae remanent in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, accidentia alia, quae remanent in hoc sacramento, esse, sicut in subiecto, in quantitate dimensiuua panis, vel vini remanente. Primo quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquid quantum ibi esse coloratum, & alijs accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur. Secundo, quia prima dispositio materiae est quantitas dimensiuua, vnde & Plato \* posuit primas differentias materiae, magnam & paruum. Et quia primum subiectum est materia, consequens est, quod omnia alia accidentia referuntur ad subiectum, mediante quantitate dimensiuua (sicut & primum subiectum coloris dicitur esse superficies) ratione cuius quidam posuerunt, dimensiones esse substantia corporum, vt dicitur in primo Metaphys. \* Et quia subiecto subiecto, remanent accidentia secundum esse, quod prius habebant, consequens est, quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensiuuam. Tertio, quia cum subiectum sit principium indiuiduationis accidentium, oportet id, quod ponitur aliorum accidentium subiectum esse aliquo modo indiuiduationis principium. Quantitas autem dimensiuua est

Apud Arist. lib. 1. Meta. text. 6. & 7.

Lib. 7. text. 1. 9. & seq. 10. mo 3.

quoddam indiuiduationis principium: est enim de ratione indiuidui quod non possit in pluribus esse: Quod quidem contingit dupliciter: Vno modo, quia non est natum esse in aliquo, & hoc modo formae immateriales separatae, per se subsistentes, sunt etiam per se ipsas indiuidua: alio modo ex eo, quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus: sicut haec albedo, quae est in hoc corpore.

Quantum igitur ad primum, materia est indiuiduationis principium omnibus formis inherens: quia cum huiusmodi formae, quantum est de se, sint natae in aliquo esse, sicut in subiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quae non est in alio, ideo nec forma ipsa sic existens, potest in alio esse.

Quantum autem ad secundum, dicendum est, quod indiuiduationis principium est quantitas dimensiuua. Ex hoc enim aliquid est natum esse in vno solo, quod illud est in se indiuisum, & diuisum ab omnibus alijs. Diuisio autem accidit substantiae, ratione quantitatis, vt dicitur in 1. Physic. Et ideo ipsa quantitas dimensiuua est quoddam indiuiduationis principium huiusmodi formis, in quantum scilicet, diuersae formae numero sunt in diuersis partibus materiae. Vnde & ipsa quantitas dimensiuua secundum se habet quandam indiuiduationem: ita quod possumus imaginari plures lineas ipsaratas eiusdem fieri, differentes positione, quae cadit in ratione huius quantitatis: conuenit enim dimensionem, quod sit quantitas positionem habens. Et ideo potius quantitas dimensiuua potest esse subiectum aliorum accidentium, quam e conuerso.

Ad primum ergo dicendum, quod accidens per se non potest esse subiectum alterius accidentis, quia per se non est. Secundum vero quod est in alio, vnum accidens dicitur esse subiectum alterius, in quantum vnum accidens recipitur in subiecto, alio medianre, sicut superficies dicitur esse subiectum coloris. Vnde, quando accidenti datur diuinitus vt per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subiectum esse.

Ad secundum dicendum, quod alia accidentia etiam secundum quod erant in substantia panis, indiuiduantur, mediante quantitate dimensiuua, sicut dictum est. \* Et ideo potius quantitas dimensiuua est subiectum aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento, quam e conuerso.

Ad tertium dicendum, quod rarum & densum sunt quaedam qualitates consequentes corpora ex hoc, quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus: sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principijs substantiae. Et ideo sicut subiecta substantiae diuina virtute conseruantur alia accidentia, ita subiecta materiae, diuina virtute conseruantur qualitates materiam consequentes, sicut rarum, & densum.

Ad quartum dicendum, quod quantitas mathematica non abstrahit à materia intelligibili, sed à materia sensibili, vt dicitur 7. Metaphys. \* Dicitur autem materia sensibilibus ex hoc, quod subiicitur sensibilibus qualitatibus. Et ideo manifestum est, quod quantitas dimensiuua, quae remanet in hoc sacramento sine subiecto, non est quantitas mathematica.

COMMENTARIVS.

**R**espondet Diuus Thomas quantitatem panis vel vini esse subiectum aliorum accidentium, quae remanent. Quae assertio supponit duo principia: vnum est, quantitatem substantiae esse specialem formam realiter ab illa distinctam, quae separari & conseruari possit sine illa: de quo hic Diuus Thomas nihil dicit, sed tacite illud supponit, quod & nobis facendum est, ne rebus philosophicis implicemur. Secundum principium est, quantitatem esse primam materiae dispositionem; quae mediante recipit alias formas accidentales, ita vt proxime illi inhaereant, sicut